...ssima Trinitate.

Stachetka Stanislai: Philantropion literarium.

PHILANTROPION LITERARIVM

QVOD

Mag no Hospiti, Sapientissimo Diuinæ Theologiæ
PROFESSORI,
Religiosissimo, Reuerendiss: ac Magnorum meritorum Patri

P. F. PHILIPPO

A

SANCTISSIMA TRINITATE,
Totius Sacræ Carmelitarum Discalceatorum Religionis
PRÆPOSITO GENERALI.
Sancti Montis Carmeli Priori Dignissimo, Sacræ Congregationis Indicis Consultori Meritissimo, &c.
In Primo, & auspicato ad Vrbem Cracouiensem Regni Poloniæ Principem aduentu.

SVB VERNALES FERIAS

M. STANISLAVS SLACHETKA;
Leopolień: Philosophiæ Doctor, Collega Maior, in Alma Academia Cracouień: Regius, ac interea Ordinarius Græcarum Literarum Professor, ad S. Annam Canonicus obseruantiæ & boni ominis ergò

OBTVLIT.

Anno Hospitis inter Homines Dei Hominis. Cyclo Solis XIV. Cyclo Lunæ XXIV. Indictione Romanâ IV. Mense Iunio, Die. 14.

CRACOVIÆ,
In Officina Hæredum Francisci Cæzary, S. R. M. Typographi,
Anno Dńi, 1666.

IN
Perantiquum Sacræ Religionis
CARMELITANÆ
STEMMA.



Quid notat hæc armata manus mucrone minaci?
  Contra quos hostes feruida bella ciet?
Hæc Sacra Relligio compresserat Hæresis Hydras,
  Viribus Eliæ, Pneumate, & ore potens.
Quid soboles stellata poli splendore coruscans?
  Doctos nonne Viros, & pietate graues.
Quid Diadema tribus cum stellis, & cruce signat?
  Præsidium fidei, Pontificumque decus.
Felix Carmelus cui præsidet ipse PHILIPPVS,
  Et Pater est natis, dulce iubarque Sophis.

REVERENDISSIMO PATRI
F. PHILIPPO
A SANCTISSIMA
TRINITATE,
FF. Carmelitarum Diſcalceatorum Congregationis S. ELIÆ PRÆPOSITO GENERALI,
Priori Sacri Montis Carmeli, literarum, & literatorum Amantiſſimo, Viro verè Apoſtolico.

Omnem ſalutem, & perpetuam felicitatem à Domino precatur

M. STANISLAVS SLACHETKA, Regius in Alma Academia Cracouienſi Iagielloniana Profeſſor, & S. ANNÆ Canonicus.

IN tanto lætitiæ, & hilaritatis applauſu, quo vniuerſi in Polonia, Lithuania, & Rußia, Religioſorum Conuentus, in Tuo optatiſſimo aduentu exultare videntur, nec me quoque Profeſſorem, qui à Sereniſſimo, & Inuictiſſimo D. Vladiſlao Iagielone Rege Poloniæ, & Magno Lithuaniæ Duce erectum Archilyceum incolo, Pythagoreum, aut Areopagiticum obſeruare ſilentium decebat Reuerendiſſime Præpoſite Generalis. *Nam ſi quondam Rex Syracuſanus in aduentu bellicoſißimi Athenienſium Ducis, etiam per ſomnum non ſine geſtientis animi lætitiá, & voluptate exclamauit: Themiſtoclem habeo Athenienſem. Quis non iure merito luce hodiernâ omnibus Philomuſis vehementiùs lætandum eſſe non aſſeret? cum iam non Ducem, aut Principem aliquem extraneum, verùm Clarißimi Ordinis Carmelitani Primicerium, alterum Moyſen, humanæ, & Diuinæ Sapientiæ oraculum, eruditorum delicium, ſuâ præſentiâ ipſo ſole ſuauiori nos mirificè reficere, & recreare aduertimus. Cuius quidem lætitiæ vel inde luculenta collegeram argumenta, dum vniuerſis ad veram, ſolidamq; properantibus ſapientiam, Iſthmum Philoſophiæ perfoderis, anguſtias eius, quibus cognitio naturæ hucuſq; claudebatur, aperueris, Proteum (veritatem inquam) denſißimis circumfuſum errorum vmbris, multiplici rerum imagine obiectantem fallaciarum nubila, redditum ſuæ figuræ, tanquam alter Euryſteus comprehenderis, atque intimis occluſa penetralibus Diuinæ ſcientiæ Theologiæ myſteria, felicißimi Ingenij Tui ductu reſeraris. Sic Reuerendißima Paternitas expleuit perfectißimè optimi & laborioſißimi Profeſſoris numeros, in ſe vno abſolutißimum*

benè docendi, & discendi ad ar-sim effinxit exemplar, quando omnia cum methodo (quæ facilè breuit- docet, infirmam iuuat memoriam, ac obscura illustrat) confecit rebus - intellectui accommodata. Habet hanc sibi felicitatis concessam prær-gatiuam Sacra Religio Familiæ Carmelitanæ, vt quoties publicæ exhibeat -t præclara eruditæ mentis opera, doctrinæ D. Thomæ Doctoris Angelici -onformia, toties dissolutis perplexis ingentium difficultatum nodis, plusq-am Gordijs, clarißima veritatis arcana ostentet. Hanc ergo amplißimam mihi, Musisq; nostris Iagielonicis mansuetioribus, aduentus Tuus attulit seg-em & materiam gestiendi, simulq; omnes eruditorum virorum excitauit ordines, vt debitum indefessæ Virtuti Tuæ, omnigenæ Eruditioni, & supremo in Religione Sacra Honori, venerationis, & gratitudinis exsoluerent tributum. Parthorum nemini licebat, Reges suos, Principes, Duces, & Heroas de Repub. benè meritos salutare, quin aliquod munusculum, propensi animi symbolum ijs simul offerrent. Hinc illa celebris floruerat Calabrorum consuetudo, vt si quos hospites, & rerum gestarum gloriâ conspicuos viros intra sua recepissent tecta, ijs hospitalitatis, & humanitatis officia exhibentes, exquisita conuiuia, & magnifica apophoreta dedicarent. Nec ego alienus sum ab hac consuetudine, instruxi non symposia, nec lautissima apparaui fercula, in Tuo felici fortunatoq; aduentu, sed multò præstantiora, & delicatiora, quæ Tuo excellenti animo, magno in corpore Hospiti apprimè sapient, & animæ facultatem satiabunt. Habet enim ingenium sua nutrimenta, & mens benè composita cibo quoq; delectatur sed subtili, & eo solùm, qui à crasso miseræ plebeculæ gustu remouetur. Non alia ergo elaboraui fercula, quàm virtutum Tuarum amplissimarum, magnorum meritorum, & negotiorum præclarè gestorum, quibus in supremo Apostolici muneris, & Carmelitici Honoris culmine constitutus, ad stuporem aliarum Sanctissimarum Familiarum inclarescis, Compendiarium Panegyricum, non Magnifico, sed tenui rerum, & verborum apparatu lemniscatum. Suscipies igitur Reuerendissime PRÆPOSITE GENERALIS *tantò gratius, & alacriùs hanc exilem, & intra temporis angustias concinnatam Lucubratiunculam meam, quantò clariùs cognosces, omnes Doctores & Professores Studij Generalis Almæ Vniuersitatis Cracouiensis Sanctissimo Ordini Tuo verè, & summè esse amicos. Quotquot intueri licebit ingenia, siue in laboriosa Stoa, aut Stagyritea Peripatu, siue in Augustissima Theologica Palæstra Doctoris Angelici, ea Lisse Academica agnoscet, quorum alij, Philosophiæ Baccalaurei, alij Artium Liberalium Magistri, & Philosophiæ Doctores creati, ac Professores facti, alij purissimæ institutionis Academicæ Studiosi, florentissimam hanc S. Eliæ incolunt Congregationem. Gaudet Ordo Fratrum Minorum S. Francisci de Obseruantia, quòd prima suæ institutionis fundamenta Cracouiæ, Duce & Auspice Beato Capistrano non aliunde eduxerit, quàm ex peruetusto, & ornatissimo auitæ Pietatis, & Scientiarum Prytaneo Vniuersitate Cracouiensi: ita clarissimus Ordo PP. Carmelitarum Discalceatorum ad prima suæ fundationis auspicia, Almam Academiam Cracouiensem semper benignam, & candidam experta est Fautricem. Mea quoque dulcissima Patria Leontopolis, vrbs antiquissima,*

Ducum

Ducum Russiæ Metropolis Nobilissima, Catholicæ obseruantissima fidei, mænibus, & turribus, tanquam minantibus in cælum Pharis ornata, vallis & fossis munita, duplici instructa Arce, insignibus Summi Pontificis Sixti V. Leone, stellâ, & tribus monticulis condecorata, sicut multos ad Sacrum transmisit Carmelum filios: ita quoque Auunculum meum, Patrem Fratrem Anselmum de Sancta Religione optimè meritum suscepit, aluit, fouit, & vitâ functum, ad monumenta Patrum suorum Præmisliæ recepit. Superi Cælites Reuerendissimæ Paternitati Vestræ diuturnos ordinent annos, ad ornamentum Religionis Sanctæ Carmelitanæ, & ad subsidium rei literariæ feliciter promouendum, mentem verò multiplici negotiorum mole defessam nectare, & ambrosiâ Diuinæ voluptatis reficiant, ex animo opto, & apprecor.

Quod autem candidus ex intimo cordis sensu, & pleno Tuæ prosperitatis sitientissimi pectoris voto deprompsit affectus, perlege expressum, ac indubitatum luculenti mei studij, & propensionis argumentum.

O Stirps ELIÆ, virtutis lumen auitæ,
Dulce decus Phœbi; Fratrum pulcherrima gemma,
Candoris niuei iubar, ingenuiq; pudoris
Suauiter effulgens flos, & pietatis imago,
Clarorum studijs nitor, atq; volupta Sophorum.
Te sequitur Themis alma boni, iustiq; Magistra,
Prudens Consus adest, & præditus ore diserto
Hermes, eloquij dulces tibi porrigit Hyblas.
Gratia cum Suada, geminisq; sororibus amplum
Suggessit charientismum, tribuitq; suauem
Morum temperiem pulchrâ grauitate decoram,
Insuper incoxit generoso pectus honesto,
Arcanosq; sinus mentis, sanctosq; recessus
Dotibus eximijs insigniter auxit, amorem
Conciliauit apud doctos, penitusq; beauit.
Ipsa coronatrix operum pulcherrima virtus
Ad sublime viam strauit Tibi culmen honoris,
Ostenditq; modos, quibus arcis adire penates
Gemmatos valeas, quos incolit inclyta Fama,
Et redimita caput viridanti Gloria lauro.
I bone, quò felix genius trahit, i pede fausto,
Fratribus ornamenta Tuis laturus opima,
Formosos sine nube dies age lætus, & amplis,
Muneribus splendesce diu cumulatus honorum.

Reuerendissimæ Paternitatis Vestræ,
perpetuò obseruandissimus

M. STANISLAVS SLACHETKA, Profess. &c.

IN
Natalitium Reuerendiſſimi Patris
PRÆPOSITI GENERALIS
INSIGNE.



Cur globus igniuomus patulâ ſplendeſcit in æthra?
  Nec petit ima loci præ grauitate ſuâ.
Fors aqua non proprium centrum, fors frigus acerbum
  Intercludit iter, mutua bella mouens.
Sic Tuus alta globus doctrinæ prendit vbique,
  Luce Tui genij Docte PHILIPPE nitet.
Applauſus hominum, velut vndas horret, & odit,
  Virtutis ſolium non putat eſſe ſolum.
Nunc ſublime iugum Carmeli poſsidet ardens
  Is globus, & gelidas deſuper vrit aquas.
Fluxit at vnde ignis vis tanta? Prometheos ignes
  ELIÆ cedunt, huncq; PHILIPPVS habet.

PHILANTHROPION LITERARIVM.

SI Tua Reuerendiſsime GENERALIS ampliſſima in Religionem Carmelitanam merita, illaque omnium eruditorum ſermonibus celebrata in promouendo ſcientiarũ commodo indefeſſa ſedulitas, aut cuiuſquam ingenio cultior, aut magnifico verborum apparatu redderetur ſplendidior; optandum eſſet, vt cùm non niſi ſummorum in florentiſſima S. ELIÆ Congregatione munerum honores adijſſes, eoſq; maximâ cum vigilantia ſuſtinuiſſes, ita aliquis Ciceronianæ eloquentiæ æmulus nobiliſsimus Orator, tantorum operum ad omnem poſteritatis memoriam proferendorum exiſteret Encomiaſtes. Quid enim eſt, quod in Sacra Religione Carmelitanâ exoptatum habeatur, quod conſilio, prudentia, induſtria, & authoritate Tua non ſit perfectum? quæ tanta Religionis moles, quod tam onus æthnâ grauius, quod tam arduum opus, & negotium Herculeum, in quo tranſigendo, ſumõ ſtudio, & acri contentione à Te non eſſet elaboratum? Vnde cum alij pro exantlatis laborib⁹ opimũ requirant, & recipiant plenâ manu præmium, Tu in tantis pro Eccleſia, & Religione Carmelitana negotijs, non tam laudi Tuæ ſeruijſſe, quàm publicæ vtilitati conſuluiſſe cupiebas. Verùm quia iſti pro publico Religionis bono, & ſcientiarum incremento ſolicitudini, nullum valet adinueniri par genus Orationis, nullius tanta dicendi affluentia, quæ dignitatem Tuorum in omnes ſibi vendicet officiorum, non modò extollendam cumulatè ornando, ſed etiam vel preſsè effingendam dicendo; ipſe florentiſsimus literatorum orbis, cui eximias nobilis animi dotes exhibuiſti, Tuam quâ poteſt laudum adoreâ illuſtrat in ſe officioſam voluntatem. Communis illa opinio, & ferè conſentiens, antequam ad ſupremum Carmelitici honoris vocareris apicem, ad Te deſignandum Religioſorum mens, ac ſenſus, quid aliud erat? quàm meritorum Tuorum inſignium apud omnes æſtimatio, quàm luculentiſſimum virtutis infractæ honeſtamentum,

dum Te vnum præ multis negotiorum suorum satis robustum animo Atlantem decernebat. Oblatum honorem in Comitijs Generalibus Die Festo D. Marci Euangelistæ, Regina Vrbium Vrbs Amplissima Roma Reu: Paternitati gratulabatur, confertissima tunc virorum literatissimorum occurrebat multitudo, elaborato, & instructo verborum apparatu deprædicabat in Thesibus, quà Philosophicis, quà Theologicis decora, & non sine iucunditatis sensu, ob ipsam præsentiam applaudebat. Prouinciæ verò Amplissimæ, Tuæ subiectæ potestati, & muneri Apostolico, vt optimo Parenti propensissimum affectum, vt Hospiti optatissimo humanitatis officia, vt Sapientissimo, & Meritissimo Magistro gratitudinem, vt Principi in Religione Carmelitana clarissimo omnem subiectionem, tanquam signum vectigalis obseruantiæ deferebant. Dabis quoq; veniam Reu: PRÆPOSITE GENERALIS, si in aduentu fortunato, vastissimo laudum, & virtutum Tuarum Oceano, pauculas meæ facundiæ guttulas, ex Tulliana delibatas Hippocrene, honoris, & gratulationis ergò affudero. Quidquid enim encomiorum ad solennem aduentus Tui celebritatem, & celebrem solennitatem comparaui, illud est exile, & tenue, quas vndiq; corrasi eloquentiæ gazas, prorsùs inanes, quæ accendi verborum lumina, nubila, quæcunq; eruditionum collegi pigmenta vmbras esse arbitreris. Ergo quando nullum Amplitudini, ac virtutibus Tuis par in terra adinuenire valeã ornamentum, non Dædaleis excitus pennis, sed Tuâ erectus humanitate, nouam iam è cælo Carmelitano ad eximium præsentiæ splendorem, traham claritatem, quando summa Vitæ Tuæ Actiuæ, & Contemplatiuæ decora breuiter attingam. Faue Reu: GENERALIS, vt si quæ inculta, aut minùs magnifica attulero, id potiùs meæ in dicendo imbecillitati, quàm virtutum Magnitudini, quæ Nestoream requirit dicendi suauitatem, tribuendum putet.

NON hìc Prometheum furtiuos ignes cælo detrahentem imitabor, more solertissimorum cæli interpretum, auspicatissimũ natiui, decoris sydus, non per opticum speculum, sed ipsis luminibus auidissimè intuebor Reu: GENERALIS. Licebit inde fortunata deducere omina, licebit felicitatis non bracteatæ colligere indicia, & quid ista Natalitia fax portendat Orbi Carmelitano, aut denuntiare, aut culto calamo ad seram posteritatis memoriam depingere.

gere. Hoc certè extra omnem dubitationis aleam eſt, vitam vniuſcuiuſq; hominis in tres diuiſam eſſe partes, quarum prima Practica, propriè humana eſt, ex quo homo in ſe continet intelligendi, & agendi principia. Altera Speculatiua, verè Angelica, quæ oculos humanos in cænū vanitatis mundanæ infoſſos, ſenſim attollit, & abſtergit, vt propiùs intueri, & res cæleſtes, Diuinaſq; cognitione digniſſimas valeat contemplari. Tertia Voluptaria, eaq; belluis communis, quam ij omnes ducunt, qui ſe breuibus voluptatum oblectamentis immergunt. Duo pulcherrima vitæ tam actiuæ humanæ, quàm contemplatiuæ Angelicæ eluceſcunt in Te ornamenta: ſi primam euoluamus, facili cognoſcemus negotio, Natalitium tuū ſolum in Gallia propè Grignanum Illuſtriſsimæ familiæ Adheymaris Caſtrum, tantum conciliaſſe decus, vt è Paterno, Maternoq; genere clariſsimæ dimanent luces, quas neque labentium vetuſtas annorum exſtinguet, neque aduerſæ fortunæ viciſſitudo, Cimmerijs obliuionis nubibus obſcurabit. Poſſem ego ad nominis Tui celebritatem, natalium ſplendorem magnificâ laudum apotheoſi condecorare, poſſem Maiorum Tuorum, quorum inextincta eximiorū facinorum apud poſteros manet gloria, amplitudinem luculentis conſignare monumentis, ſed ne modeſtiæ Tuæ faſtidienti humana encomia, ruborem adſpergam, prurientem in laudes calamum continebo. Pulchrum eſt fumoſas auorum oſtentare ceras & imagines, longè pulchrius, & honorificentius proprijs inclareſcere meritis, aſt pulcherrimum in ijs extollendis Harpocraticam taciturnitatem obſeruare. Verè Te fortunatum appellabo Reu. GENERALIS, dum poſtpoſitis blandimentis domeſticis, ætati floridæ ſummè pernicioſis, conculcata ea vitâ, quæ vanas & pænitendas ſuggerit voluptates, abiectis Maiorum ceris, quæ inſolentem reddunt mentem, protinùs in mundo immundo Paradiſum, eiuſq; delicias inquirebas. Spectauit propitium cælum Tuam propenſionem, ſanctum propoſitum, ardens Deum colendi deſiderium, mox Diuinæ benignitatis & gratiæ ſerenus menti illuxit radius, atq; Tibi ad ſanctum, pulcherrimum, & florentiſſimum Carmeli Paradiſum viam demōſtrauit. Sic natalitius Tuus globus ardentiſſimo S. Eliæ irradiatus igne, feliciter turbidas mundi aquas tranſgreſſus amarâ voluptate vndantes, in altiſſimo ſacri Montis Carmeli culmine, tanquam in auge conquieuit. O diem albo ſignandum calculo,

quo è periculoso mundi salo enauigasti,& exoptatum votorum Tuorum attigisti portum, ô annum Reparatæ salutis 1620 verè fortunatum, quo innocentiam, velut alter Iason aureum vellus rapiendo in Religione Carmelitana Deo consecrasti, & debellato animorum hoste domestico, qui blandiendo suffocat, & lactando inficit, tanquam alter Hercules sopito Dracone aureum ex hortis Hesperidum pomum, intaminatum virtutis Tuæ decus è patrijs penatibus extulisti. Et quia homini Religioso viridem disciplinæ obseruantiam retinenti, nihil magis noxium possit esse, quàm turpe otium. Nam illud est, in quo ingenium contrahit senium, & non modò corporib⁹, verum etiam animis quendam torporem conciliat. Vnde præclarũ satis effatum canæ eloquentiæ senex D. Hieronymus nobis reliquit, dum inquit: *Nihil in sancto proposito otio deterius est, quod non solum modo non acquirit bona, sed etiam peracta consumit, sanctæ vitæ ratio processu gaudet, & crescit, cessatione torpescit, ac deficit: quotidianis ac recentibus virtutum incrementis instauranda mens est, & viuendi hoc iter, non de transacto, sed de reliquo metiendum.* Exercendus fuit animus, & reconditioribus excolendus scientijs, vt rubigo pereat, & splendor à longo vsu inducatur, sic Anno 1623. Philosophiæ & Theologiæ addictus, inuigilabas ijsdem, vt omnes stuperent acres ingenij motus, ad penetranda quæq; arcana accommodatos, incredibilem sedulitatem, indefessum cum profectu studium. Contulisti Te Lutetiam Parisiorum Nobilem & celebrem totius Galliæ Metropolim, & copiosam, atq; eruditissimis hominib⁹, liberalissimisq; studijs affluentem, ibidemq; peritissimos nactus Magistros, acerrimos doctrinæ Thomisticæ propugnatores, prosperè arduum stadiũ decurristi. Spectauit inter Vrbes Phoënix Roma bonarum artium ac disciplinarum plena, felices Tuos conatus & progressus, indubitatam concepit spem, Te futurum Vrbis & Orbis ornamentum, Ecclesiæ, & Familiæ Carmeliticæ lumen, Philosophorum & Theologorum delicium, malleum Hæreticorum, atq; barbararum gentium lucidissimam Pharum. Viderant SS. Patres Ordinis Tui Antistites in primo ætatis flore eximiã ingenij indolem, & morum comitatem, perspexerant præclaras Diuinæ benedictionis dotes, in Religionis officijs obeundis alacritatem, & exporrectam frontem, atque in dissoluendis abstrusis scientiarum difficultatibus incredibilem facilitatem, mox Te ad exedram inuitârunt. Aemulatus es

Reueren-

Reuerendiſsime GENERALIS Pellæum iuuenem M. illum ALEXANDRVM, qui iniquo tulit animo PHILIPPVM omnia feliciter expedire, & nihil ſibi relinquere; vbi virtus ſua excurrere, & cognoſci valeret: ita Generoſus Tuus genius indignè tulit, ſi à profundæ eruditionis ſtudio, & ſcientiarum curſu auocaretur. Vltra communia ſtudiorum exercitia, confeciſti 7. annos continuò in voluendis, & reuoluendis D. Thomæ Doctoris Angelici voluminibus, ad illius vitam, & ſcientiam, tanquam ad lucidiſſimam Cynoſuram, & Helicen ſenſus, mentem, & cogitationes conuertiſti, & dubios direxiſti curſus. Neque hîc indefeſſa virtus ſibi præfixerat cancellos, transtulit ſe ad remotiſsimas terras ſole peregrino calentes, adijt Anno 1629. Perſidem, & Indias Orientales, & in eo extremo orbe, vitæ actiuæ, prædicando, & docendo luculenta exhibuit monumenta. Hic iam vaſtiſſimus aperitur campus, ad deprædicanda heroica Tua facinora, quæ incurrunt non ſolùm in oculos gentium immanitate efferatarũ, ſed etiam in voces omniũ Tuæ virtuti velificantiũ. Ardentiſſimus Eliæ Spiritus in Te emicuit, & ſtimulauit, vt pulueruleutã arriperes viã, & diſcuſſis ignorãtiæ tenebris, clariſſimã veritatis lucem barbaris inferres. Non peperciſti incolumitati Tuæ, omneq; moleſtiarum, & incommodorum genus ita viriliter aggreſſus es, vt nec niuium, & hyemis aſperitate abſtrahi, nec ſolis inclementia, atq; ardore à periculoſiſſimis, remotiſſimiſq; itineribus auocari, nec maris æſtuantis procellis deterreri vnquam potueris. Glorioſior es Hercule, ille ad Gades ferreas collocauit columnas, Tu in orbis ſtadio plus vltra progreſſus es, ille terminum laborum, & itinerum inuenit, Tu in mari, in nubibus, in nocte ipſa, extra ſyderum conſpectus, extra limites naturæ vixiſti, nec vllam propagandæ fidei metam eſſe voluiſti, illius 12. labores recenſentur, Tuorum immenſus, infinituſq; eſt cumulus, ille ſecurus immenſos penetrauit maris tractus, Tu in mari, & Euphrate fluuio rapidiſſimo adductus in extremum diſcrimen, ſaluus euaſiſti ſymphlegadas. Nemo inſuperabiles locorũ tranſitus, nemo terræ ſitus, vaſtitates, & ſolitudines, nemo conſuetudines maris, ac vices, nemo fluminum profunditates, montium altitudines tam perſpectas habuit, atq; Tua animi magnitudo, & exculta magno literarum vſu & peritiâ rerum noſcendarum ſapientia, ac prudentia. Non commemorabo, quos in Indijs Orientalibus ſuſcepiſti labores pro ſapientia, non adducam

quomodo abſtruſam tam in Philoſophia, quàm in Theologia veritatem ſagaciter perueſtigaſti, inuoluam ſilentio, quâ contentione animi, ſolidas diebus noctes continuaſti in contemplatione altiſſimarum cauſarum, paucis multa, ad ſplendidiſſimam ſapientiæ lucem ſemper excubabas. Exacto ſecundo & decimo anno, reuerſus ex Indijs Orientalibus, nō quieti reficiendarū cauſâ virium conceſſæ, non remiſſioni, aut amænitati, à quibus meliores & acriores reſurgunt animi, tempus impendiſti. Et ſicut palma quantò grandiori premitur pondere, tantò altiùs aſſurgit ad corollas: ita genius Tuus quò magis frangitur laboribus, eò eſt alacrior, & ſuper omnia erigitur. Diſputationes doctrinâ Doctoris Angelici, & diſcipulorum eius refertas, atque methodicè concinnatas, publico Philomuſorum exhibuiſti vſui. Prodiit Summa Philoſophica ex mira Principis Philoſophorum Ariſtotelis, & Doctoris Angelici D. Thomæ doctrina, iuxta legitimam ſcholæ Thomiſticæ intelligentiam compoſita, quam Lucubrationem in illa Vrbe Goana, Indiarum Orientalium Metropoli confectam, Auguſto nomini Illuſtriſſimi Principis Franciſci Adheymar Du Monteil, de Grignan S. Eccleſiæ Arelatenſis Archiepiſcopi, & Primatis, Abbatis De Ayguebelle, Regis à Sanctioribus Conſilijs tranſcripſiſti. Editum eſt in lucem opus Theologicū in tres diſtributum partes, in Prima tractatus de Deo vno, ac Diuinis Attributis: Secundus de Deo Trino: Tertius de Dei Creatoris primario effectu s. de Angelis. In prima ſecundæ de vltimo fine, & actibus humanis, de virtutibus, vitijs, & peccatis in communi, & de Gratia. In ſecunda Secundæ de virtutibus Theologicis, de Iuſtitia & Iure, & de Religione: in tertia, de Incarnatione, de Sacramentis in genere, de Euchariſtia; & de Pænitentia. Itinerarium verò Orientale, opuſculum 10. libris comprehenſum, quod Eminentiſsimo & Reuerendiſsimo D. D. ALEXANDRO S. R. E. Tituli S. Sabinæ Presbytero Cardinali BICHIO obtuliſti, magnam legentib⁹ adfert voluptatem, in eo aperuiſti Orientis Regiones, earum montes, maria, & flumina, Principū mores, & geſta, Incolarum Chriſtianorum, & Populorum Infidelium conſuetudines expoſuiſti. Quidquid Chriſtophorus Columbus Primus Indiarum Inuentor detexit, & eum ſecuti Americus Veſputius, Magellanus, Dracus, Candiſchius del Nort. aliquos aperuerunt angulos, hos Tu acceſſiſti, luſtraſti. Venit in manus Doctorum Liber Tuus inſignis, quem Eminentiſ-

ſimo D.

ſi n o D. D. Antonio S. R. E. Cardinali Barberino dedicaſti Diuinũ Oraculum S. Cyrillo Carmelitæ Conſtantinopolitano ſolenni legatione Angeli miſsũ, in eo ſublimia arcana penetraſti. Reliqua eruditæ mentis Tuæ monumenta poſſem copioſa deducere dictione, ſed anguſtiæ chartæ non permittunt, hîc ſiſtam, nec longius in ijs excutiendis progrediar, erit enim alius recenſendi Lucubrationes Tuas locus. Mitto Theologiam Myſticam, Chronologiam Mundi, Chronica Religionis Carmelitanæ, de Antiquitate Religionis Carmelitanæ, Vitas SS. Patrum Ordinis Carmelitici, Hiſtoriam Venerabilis Patris Dominici à IESV MARIA, aliaq; inſignia opera, quæ Nomini Tuo æternitatem comparabunt. Dicam quod ſentio, & quod ipſa iubet veritas (nec enim luminibus encomiorum indiges, vt conſpiciaris, qui Tua ſatis es conſpicuus luce.) *Ambulans Bibliotheca es.* Venio iam ad ſuccinctam Narrationem vitæ Tuæ Speculatiuæ, quæ principaliter conſiſtit in contemplatione Diuinæ veritatis, hanc arctiſsimo conſtrinxiſti vinculo cum Actiua. Quis pro dignitate explicabit Pietatem, quæ in mente Tua ardet per contemplationem, ſapientiam, religionem, ſanctimoniam, feruorem deuotionis, inſuper vitam ab omni macula vacuam: vt Te tanquam hominem cælitùs delapſum Filij ſuſpiciant, venerentur, Tuis monitis, ſaluberrimis documentis, & viuis inducti exemplis, vitæ Religioſæ, & pietatis exercitia alacriter arripiant. Felicem S. Montis Carmeli locum, enituit ſuperioribus annis in eo candidiſſimum Carmelitici candoris Lilium, Reñ. P. F. Dominicus à Sanctiſſima Trinitate. P. G. & è candido virtutum ſinu exeruit aureos apices ſapientiæ, præſtantiam honoris coronantes: ita nunc reſplendet globus cæleſti refertus igne adinſtar æſtuantis ſolis, Reuerendiſſima Paternitas Veſtra, dum ab auge Carmeli, deſcendit ad Perigæum, ac noſtras Septemtrionales illuſtrauit Regiones. Globus ignitus natiuus fertur ſuper tumeſcentes aquarum fluctus: ita Tu vt verus Eliæ ſucceſſor, in ſpiritu & virtute Eliæ, frigidas calefacis aquas, & efficis clariores. Solem Te lucidiſſimũ omnes Profeſſores agnoſcimus, dum è Cælo Thomiſtico euocatam Sapientiam, etiam ad noſtram Almam Vniuerſitatem Crac. Iagieloneam, tanquam Hoſpitam optatiſſimam induxiſti, quam veneramur, eiq; mentes noſtras ſubijcimus. Patrem Te benigniſſimum omnes Filij tui deprædicant, & hoc in votis habent ardentiſſimis, vt Troica ſæcula, & Euboici annos tranſcendas

pulueris. Pater es, & rigor tibi paternus, non tyrannicus, foues, & corripiendo, te exhibes patrem, non verborum verbera, sed gratiæ, vt Matres vbera, producis viscera, non opprimis, sed erigis, & si quod congelatum vides pectus, clementiâ, quæ coniunctam habet maiestatem, & authoritatē, tanquā igne succendis. Quæ cū ita sint, REVERENDISSIME GENERALIS gaude, & fruere Tuo isto tam excellenti bono, Te nempe eum esse, qui Stagyritam perspicaciâ, Platonem copiâ, Socratem integritate superas, & si licuerit profanis sacros adiungere Antesignanos, Tu Moysen mansuetudine, Heliam zelo, Hieronymum peregrinatione, Aquinatem, vitâ actiuâ, & speculatiuâ repræsentas. Tibi itaq; Archangelo Religiosorum (quod nomen Fulbertus Abbati Monachorum Odiloni attribuit) magno Hospiti, & Cōmuni omnium Philomusorum Præceptori, hunc Panegyricum dedico. Philanthropion chartaceum, & humile est, si id spectaueris ex Tuâ dignitate, quæ maiora exposcit, nihilominus propensum animum si expenderis, magnū iudicabis. Faxit Omnipotens Deus, cuius hîc virtutes non exquisito penicillo, aut erudito Homeri stylo adumbrare conabar, vt & Munus hoc Apostolicum felix sustineas, & viuas diuturnus Dixi.

ODE GRATVLATORIA

In Quâ

Eximias defert Virtutes Fama per orbem.

Celerior Zebrâ, est Prouerbium Lusitanorum, hoc animal reperitur in Pamba Prouincia Regni Congiani.

Fama pennatis citior quadrigis,
Ocyor Zebrâ, Geticaq; cannâ,
Ocyor nimbis, rapido fluento,
Ocyor Euro.

Ocyor Pardis, Onagris, Leænis,
Surge gemmatis redimita sertis,
Linque ventorum tenebrosa regna,
Linque Triones.

Perge quâ summi peramœna cæli
Templa formosa decorat Phaneta
Luce iucundus, vel vbi sereno
Aspicit ore.

Ignibus tostos populos, vel Indos,
Dum nouo semper radio salutat,

Et diem

Et diem mundo reuocat corusco
Crine nitentem.
Perge quâ Persæ, Garamantes, atri
Imperant Mauri, facibusq; solis
Hesperi clarent, & vbi quiescit
Potor Enipeî.
Perge quâ tellus opulenta flore
Chryseo turget, cidari decora
Grandinans spicas, zephyroq; leni
Tollit aristas.
Et procellosi vada cæca Nerêi
Per coronatum viridante littus
Flore procidunt, iaciuntq; cornu
Vbere baccas.
Dic sub occasu positis Iberis,
Quiq; bacchantes patiuntur vrsæ
Igneos ictus, gelido vel imbre
Terga supinant.
Lucifer vel quos nitidus Pyropo,
Visit infanti radio, diemq;
Fulgidi Phœbi rutilo micantem
Crine repectit.
Gemmeo currum moderare loro,
Solis alatas age dic, quadrigas
Scande, contrecta placido serena
Astra lupato.
Nobilis canta Probitatis ingens
Præmium, claros Sophiæ nitores
Omnibus narra, decori erudito
Erige lauros.
In Magistratu Tibi lenitudo
Est comes semper benè temperata,
Te decor cingit Pietatis almus
Septus honore.
Martium pectus retines PHILIPPE,
Cùm premis sortem, tumidosq; fastus
Spernis, haud mirum, quid enim PHILIPPVS
Denotat? an non
In graui certamine BELLICOSVM:
Iure te dicam merito valentem
Herculem, calcas peracerba cuncta
Pectore læto.
Splendicas Vrbi probitate, sicut
Cynthius, quando face lustrat astra,

 Et fones

Et foues ignes, quid enim est PHILIPPVS?
Lampadis os est.

O dies albo numera lapillo
Hospes, ô summâ celebrande laude,
Sæcla transcende Euboicæ Sibyllæ,
Tempus, & annos.

Prodigus laudes Tibi mittat Hermus
Aurifer Tartessiacis ab vndis,
Deferat nomen super astra dulce
Celsus Olympus.

Donet annorum seriem seuera
Turma Parcarum, nitidumq; vultum
Præbeat, ducant benè feriata
Stamina vitæ.

Me foue posco placido, ac sereno
(Quo soles Diuos recreare) amorē,
Quoq; fulgentis superabis olim
Climata mundi.

EPÆNON GRATVLATORIVM. REVERENDISSIMO

ERige docte caput Parnasse, *vocaq; Camœnas,*
Vt pangant laudes, A*mplaq; dona ferant.*
Hic est cultor Aris T*otelis mysteria pandens*
Abdita, sacratæ R*elligionis apex.*
Angelici Schola Doctor I*s deprædicat alma*
*Nobile mentis o*P*us, dulceq; Theologis.*
Hūc sacer Historic⁹ colit, H*ydrographus veneratur,*
Et qui telluris lustrat I*n orbe plagas.*
Et qui designat iam L*ustris posthuma fasta,*
Nominis æternū tollit I*n astra decus.*
Venerunt Musæ, gratū P*æana dedêre :*
Viuat in orbe diu P*ater hic, virtutis imago,*
Lux Sophiæ, Phæbicorculū, O*cellus, amor.*
A*stræa* SANCT*or, clar*ISSIM*us artis* A*mator,*
TRI*ste* NI*bil* TA*ngat,* TE*mpora læta trahat*

Præposito Generali FF. Carmel: Discal: &c.